

ciales ad meum exemplum Constitutionem UNIGENITUS vestiment et habeant tanquam aquissimam, illique profundissima cum veneracione adhaerant.

His addi meretur recentius testimonium, nempe acceptationis formula an. 1740. ab Episcopo et Capitulo LEODIENSI prescripta, cuius hic est tenor: *Ego accepto pure, nude et simpliciter absqueulla restrictione, ne quidem mentali, Constitutionem fel. rec. Clementis Papae XI. quæ incipit: Unigenitus, tanquam legem dogmaticam Ecclesiæ et regulam fidei, condemnoque centum unam propositiones ex libro vulgo Reflexiones Morales extractas in omnibus sensibus ac qualificationibus, sub quibus praedicta Constitutio illas condemnavit. Et ita juro. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.*

ARTICULUS VII.

AN CONSTITUTIO UNIGENITUS SIT SENTENTIA ET DEFINITIO DOGMATICA: AN LEX TANTUM ET REGULA DISCIPLINÆ VEL OECONOMIE.

242. *Nota.* Inter dogmaticam definitionem et meram legem disciplinæ id discriminis intercedit, quod illa credendum aliquid proscribendum proponat, judicium universale ad omnes Ecclesias et fideles directum inviolabili ferat, non meras voces, sed doctrinam pro objecto habeat, præterea etiam a legitimo superiore debito modo feratur; cui quidam accedere exigunt consensum Ecclesiae. Haec vero intelligitur, si vel ex illis requisitis aliquid desideretur, vel maxime, si sententia ad usum duntaxat doctrinæ vel propositionis pertineat, adeo ut censura tantum sit propter abusum vel periculum dissensionis, aliarumque turbarum; quod si abesset, etiam ipsa doctrina, quæ in se vera ac bona est, rursus defendi posset.

Porro duplex est Quesnelliistarum circa hanc materiam sententia vel potius aberratio. 1^a. *Rigidiorum*, qui Bullam *Unigenitus* fatentur esse definitionem dogmaticam, sed simul tanquam iniquam, malevolam et falsam impugnant. 2^a. *Molliorum*, qui quidem eam Bullam acceptant, sed ut meram disciplinæ legem, cui proinde interior mentis assensus non sit necessario tribuendus; quod ipsum nihil aliud est, quam decretum Pontificium exterius quidem suscipere, interius vero et reipsa explodere.

Priorum errorem hic non oppugnamus, utpote ad quod requireretur, singularum propositionum condemnatarum falsitatem aut virus ostendere, quod Auctores num. 239. laudati jam perfecerunt. *Posteriorum* vero tum errorem, tum erroris fundamentum breviter delibabimus, quod in eo stat: Constitutioni predictæ non convenire characterem judicii dogmatici, quia in ea propositiones dantur duntaxat *in globo* sub censuris variis *respective*, atque hinc nullum dogma distincte definiatur, nullusque error clare proscribatur; id quod tamen tanquam essentiale quid in quocumque veri nominis dogmatico judicio desiderari prætendum.

243. R. I. Bullæ *Unigenitus* non est mera disciplinæ vel oeconomie lex, sed proprie dicta *dogmatica definitio*.

Ratio est; quia habet omnes conditiones ad dogmaticum judicium requiras. 1^o. *Enim* proponit aliquid *proscribendum*, ut patet tum ex scopo, quem

Pontifex in Bulla post exordium proponit, et num. 241. recitavimus: tum ex ipsis notis et qualificationibus 101. propositionum, quas ibidem protulimus. Præterea proponit etiam aliquid *credendum*, nempe nullam esse ex damnatis propositionibus, quæ non mereatur saltem aliquam e censuræ notis, quæ in Bulla exprimuntur: et vicissim nullam ex assignatis censuris esse, quæ ad minimum alicui propositioni non competit.

2^o. Fert judicium universale ad omnes directum; ut probat vel ipsa Bullæ inscriptio: *Universis Christi fidelibus*; et verba judicati: *Mandantes omnibus utriusque sexus Christi fidelibus*, etc. Porro inviolabile ferri judicium testatur tum illud comma: *hac nostra perpetuo valitura Constitutione*; tum ipse scopus et materia in superiore conditione proposita.

3^o. Habet pro objecto non verba, sed *dogma et doctrinam*; ut ex sola inspectione propositionum damnatarum manifestum est, et conceditur ab ipsis Quesnelliianis; e quibus olim Card. Noallius approbationem 12. articulorum a BENEDICTO XIII. postulans, rem hic agi dicebat de necessitate fidei in mediatorem Christum: de Christi morte ac Dei voluntate pro salute omnium: de necessitate, potentia ac gratuita dispensatione Salvatoris Jesu: quidque de regulis observandis in administratione Sacramenti Pœnitentie sentendum sit, tenendum ve.

4^o. Latum est a *legitimo Superiore*, nempe Summo Pontifice, et quidem debito modo, scilicet, ut Pontifex in Bulla loquitur: *Hinc aspirante Domino ejusque coeli ope confisi, salutare opus sedulo diligenterque, ut rei magnitudo postulabat, aggressi sumus; ac plurimas ex praedicto libro, juxta supra recentissimas respective editiones, fideliter extractas, et tum gallico, tum latino idiomate expressas propositiones a compluribus in sacra Theologia Magistris, primo quidem coram duobus ex Ven. Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus accurate discuti: deinde vero coram nobis, exhibito etiam aliorum plurium Cardinalium consilio, quam maxima diligentia ac maturitate, singularum insuper propositionum cum ipsomet libri textu exactissime facta collatione, plures iteratis Congregationibus expendi et examinari mandavimus. Sub junctis posthac propositionibus ita prosequitur: Auditis itaque tum voce, tum scripto nobis exhibitis prafotorum Cardinalium aliorumque Theologorum suffragiis, divinique imprimis luminis, privatis ad eum finem publicisque etiam indictis precibus, implorato præsidio etc.*

5^o. Sortita est Constitutione Ecclesiæ consensum; utpote quam secundum dicta n. 241. tanquam dogmaticam definitionem agnoverunt et prædicarunt præprimis Summi Pontifices omnes CLEMENTEM XI. subsecuti, Synodi Romana, Avenionensis et Ebredunensis ea de re habitæ, Gallicani Præsules variis in Comitiis et Mandatis pastoralibus, quorum Collectio impressa est Parisiis an. 1713., denique orbis Catholici Metropolitani cum suis expresse aut facite consentientibus Suffraganeis, accendentibus insuper plerisque sacris Facultatibus.

244. R. II. Bullæ *Unigenitus* non deest character definitionis dogmaticæ ex eo quod contra Quesnelli propositiones latæ fuerint censuræ, ut aiunt, *in globo*.

Ratio est; quia hic defectus nec est juris, nec facti. Non est 1^o. defectus juris; quia per ejusmodi censuram *in globo* imprimis propositiones omnes constat esse rejiciendas: deinde intelligitur, nullam esse censuram, quæ

alicui saltem propositioni non conveniat. Unde postremo, quamvis vi Bullæ et condemnationis distingui nequeat, quænam nota cuilibet ex damnatis propositionibus debeatur, tamen id Theologorum studio et industria facile cognosci potest: et nullatenus ad rationem dogmatici iudicii necesse est, ut applicationem qualificationum ulterius determinet; quera modum ex dictis num. præced. constat, atque ex eo, quod non summa claritas et individualis quasi determinatio in condemnationibus requiratur.

Nec est 2º. defectus *facti*. Quia consuetudinis Ecclesiastice est similis condemnatio; ut patet ex decretis Concilii Constantiensis aduersus *Wicelsum* et *Hussum*, ex Bulla Leonis X. aduersus *Lutherum*, ex Constitutionibus Pii V., Gregorii XIII. et Urbani VIII. aduersus *Baium* et *Jansenium*, ex Bulla Innocentii XI. aduersus *Molinos*, ex decreto Innoc. XII. aduersus librum *Gallicum*, cui titulus: *Maxima vel axiomata Sanctorum*. Jam vero sive hanc Ecclesiæ praxin probent, sive improbent Quesnelliani, causa cadunt. Si enim probant, uti re ipsa plures faciunt; cur eidem se oppenunt in Bulla *Unigenitus*? Si improbant, Sectariorum partes æque ac arma capiunt; nam et *Lutherus* eadem exceptione usus fuit contra censuras Leonis X., et apostata *Antonius de Dominis*, ac Paulus Sarpi, qui se *Petrum Suavem* dixit, communi nomine *Fra Paolo* vocatus, contra Conc. Trid.; sed et eorum temeritatem, et primi quidem Eckius in opusculo disputationis Lipsiensis, aliorum vero Pallavicinus in historia Conc. Tridentini L. 1. c. 21. castigarunt et exploserunt.

243. Obj. I. Judicium dogmaticum, seu regula fidei debet fideli bus proponere dogmata et fidei articulos, quibus assentiri omnes teneantur sub anathemate; alias habendi, sicut ethnicus et publicanus: sed Bulla UNIGENITUS non proponit articulos fidei, nec imponit obligationem assentiendi sub anathemate et nota heresios; ergo non est judicium dogmaticum, seu regula fidei.

R. 1º. D. M. Regula fidei, quæ est talis in sensu stricto, debet proponere articulos fidei C. quæ est talis in sensu minus stricto N. Hæc pro suo objecto duntaxat respicit doctrinam sanam, sive ab omni censura et nota theologica immunem, et cum fidei integritate ac conservatione connexam. Illa vero, cuius nomine præcipue venit *symbolum*, aut *professio fidei*, pro objecto tantum habet veritatem revelatam, et solum continet articulos fidei. Utramque hunc in sensum Archiepiscopus Senonensis exposuit jamdum anno 1732. in epist. ad Consiliarium Senatus Parisiensis.

R. 2º. Quamvis Ecclesia quoad ejusmodi regulam fidei in sensu minus stricto, ab omni etiam errore immunis sit propter infallibilem assistentiam Spiritus sancti; tamen intra objecti sui ambitum continet veritatem quamcumque, licet a Deo non sit pronuntiata; cui quamvis sincerus mentis ac cordis assensus debeatur, non tamen fidei assensus: cum ad doctrinæ sanitatem non spectet credendi necessitas, sed sufficiat simplex a censuris theologicis immunitas. Hinc, qui ei refragatur, dicitur inobedientis, rebellis, aut schismaticus, non vero hereticus.

R. 3º. Centum una propositiones variæ generis sub diversis censuris ac notis respective tantum damnantur; unde sequitur: contradictorias illis oppositas ad varium quoque genus pertinere: eas non magis declarari

veras, quam censurarum sensus ac notio exigat: vi hujus declarationis non unam potius præ alia propositionem determinari: plures inter illas ex alio, quam fidei argumento depromi, nec esse revelatas: denique nullam velut divina fide credendam determinate proponi.

Evidem ex his conficitur, Bullam UNIGENITUS non esse fidei regulam in sensu stricto; est tamen judicium dogmaticum, quod servit ad dirigendos fideles in ordine fidei, prout Cardinales, Archiepiscopi et Episcopi Parisiis an. 1728. congregati pronuntiarunt de iudiciis Ecclesiæ, qualifications tantum respectivas continentibus.

Inst. 4. Bulla dogmatica et quæcumque fidei regula, sicut exigit assensum determinatum, ita debet habere objectum fixum ac determinatum: sed Bulla UNIGENITUS nihil plane determinat circa suum objectum, siquidem non figuratur cuivis propositioni qualificatio, ut proin, quæ uni tantum scandalosa sit aut temeraria, alteri omnino heretica videri possit; ergo nullo vero sensu est regula fidei.

R. 4º. Si Bulla UNIGENITUS nihil decidat, cur dixit Quesnellus, quod illa unico ictu profligaverit centum et unam capitales veritates Religionis? Hinc D. M. Bulla dogmatica debet habere objectum fixum ac determinatum, semper ac necessario, quantum ad peculiarem notarum attributionem, quæ singulis propositionibus signatim applicentur N. quantum ad perversitatem propositionum, ita ut Bulla declaret, eas non esse orthodoxas C. Censura in globo id saltem fixum habent ac determinatum, quod Ecclesia velit nos certos fieri, et quod credit, ad fidem tuendam satis esse; scilicet propositiones, quas damnat, perniciosas esse, si doceantur; periculosas, si credantur; ideoque non posse ab ullo Catholico defendi; unde per talem Ecclesiæ definitiōnem fixum manet, propositiones damnatas esse rejiciendas, utpote cum ex ipsis quædam sint hereticae, quædam erroneæ, quædam scandalosæ... et in id fertur assensus auctorati debitus. Quenam vero singulis censuræ nota conveniat, Doctoribus inquirendum et assignandum relinquitur, donec ab Ecclesia id fuerit specialius determinatum. Ovibus sane, si essent rationales, sufficeret hujusmodi monitio Pastoris: quidni fidelium vulgo satis esse possit, ut sicut illæ a venenatis herbis, ita hi a noxia doctrina sese abstinctant?

R. 2º. De æquitate censurarum in globo vide num. 244. Accedit, quod Sec. XIII. primum coepit Guillelmus Paris. Episc. adhibere censuram, ut vocant, *compositam* et *absolutam*, damnans decem propositiones velut erroneous: et ejus successor Stephanus plures articulos tanquam erroneous et malesonantes. Adde etiam consuetudinem Cleri Gallicani: inter multas enim illius censuras una duntaxat reperitur an. 1700., quæ pro singulis propositionibus singulas qualifications determinet. Eumdem morem passim tenuit sacra Facultas Paris. præsertim an. 1277. 1382. 1314. etc. Et sane doctissimus Bossuetus generales ejusmodi censuras adversus CAMERACENSEM tuetur ceu utilissimas in Ecclesia, tum ad primum ictum, quo suo in ortu feriantur errores; tum non raro ad extremum, quo perimanunt, juxta exigentiam circumstantiarum et gradum obstinationis in corundem assertoribus. Certum denique, quod ante Lutherum nullus hominum huic methodo censurandi unquam contradixerit; præclare autem Paulo Sarpi contra Bullam Leonis X. excipienti, quod contentæ in illa censuræ generales augerent incertitudines, et redderent causam adhuc magis dubiam, respondit PALLAVICINUS

Hist. L. I. c. 21. *An ad hoc, ut quis pellatur urbe, necessarium fuerit, cum declarari tanquam hostem? vel tanquam pestē evidenter infectum? an sufficeret declaratio, quod sit suspectus de prava machinatione, vel de morbo contagioso?..... Sufficere, quod omnes propositiones in Bulla LEONIS X. damnatae sint perniciose in docendo, et periculosae in credendo.*

His omnino concordat S. AUG. L. de Hæres, c. 88. *Quid, inquit, contra ista sentiat Catholica Ecclesia..... superfluo queritur, cum propter hoc scire sufficiat, eam contra ista sentire, nec aliquid horum in fidem quemquam debere recipere. Multum adjuvat cor fidele, nosse quid credendum non sit, etiamsi disputandi facultate id refutare non possit. Ubi quamvis AUG. de Hæresibus disserat; tamen ejus ratio exakte quadrat in condemnationes etiam generales, respectivas ac indeterminatas.*

R. 3º. Certum est, vi Bullæ UNIGENITUS, mandari duntaxat fidelibus, ne de damnatis propositionibus *sentire, docere, predicare* aliter præsumant, quam in eadem Bulla continetur; eos autem, qui unam ex illis aut plures docuerit, defenderit, vel disputative tractarit, ecclesiasticis præcise censuris in jure statutis subjici. Inde rursus sequitur: prohiberi quidem præter externam repugnantiam *dissensum* etiam internum; expressum vero mentis *assensum* non item, multo minus *fidei* actum imperari: præcepto qualicumque tacito satisfieri, interius judicando, propositiones omnes merito damnatas, et singulas aliquam mereri notam, unamque ex notis convenire alicui dannatarum: refractarios esse quidem obnoxios poenis ecclesiasticis, non tamen anathematizari, nec sigillatim separari a communione fidelium. Ex his recte insertur, at plus tamen non sequitur, quam quod Bullæ UNIGENITUS desit character et effectus regulæ fidei in *sensu stricto*.

Inst. 2. Si Constitutio UNIGENITUS esset *judicium Ecclesiae dogmaticum*, certe BENEDICTUS XIV. eam sic compellasset in sua Encyclica de an. 1736. ad Clerum Gall., quæ incipit *Ex omnibus Christiani orbis*: sed eam solum compellavit Constitutionem Apostolicam; et sicut CLEMENS XI. et BENEDICTUS XIII., non nisi sinceram venerationem et debitam obedientiam pro ea depoposcit, non autem assensum mentis; ergo.

R. 4º. N. seq. Nam necessitas non fuit illud enuntiandi: tum quia a Galliæ Episcopis BENEDICTUS desuper non fuit consultus: tum quia Gallicani Præsules in eo omnes consenserant, quod Bulla sit *judicium Ecclesiae dogmaticum*, solum discrepantes in modo, quo ejusdem executio urgeatur contra refractarios; prout innuunt verba BENEDICTI XIV. in cit. Encycl. *Neque enim, ait, ullam inter vos dissensionem vigere comperimus, quoad canonicas regulas et principia; sed scissuras tantummodo esse inter vos in diligendis statuendisque mediis, quibus utendum necessario est, ut eadem communia principia in usum deducantur.*

R. 2º. Summi Pontifices non solent suas Bullas compellare judicia Ecclesiae, sed *Constitutiones Apostolicas*, ut non videantur ad illarum vim requirere consensum Ecclesiae, aut ab Ecclesia sūam mutuari auctoritatem, quam velut successores Principis Apostolorum immediate, uti Petrus, a Christo habent. Nihil ergo ea de re in Encyclica BENEDICTI XIV. aut negatum, aut affirmatum est.

R. 3º. Hoc ipso, quod summi Pontifices edicant, tantam esse in Ecclesia Dei auctoritatem Apostolicæ Constitutionis, quæ incipit UNIGENITUS, ut

*sinceram venerationem, perfectam et omnimodam obedientiam sibi vindicet, et nemo fidelium possit absque salutis æternæ discriminè ullo modo refragari; apertissimum est, quod mentis etiam obsequium exigant, cum alias obedientia non foret omnimoda, et quodam modo eidem impune refragari quis posset. Adde, quod BENEDICTUS XIII. Bullam UNIGENITUS, *fidei regulam* compellaverit in Conc. Romano 1725. præside S. Pontifice celebrato, cui aderant 30. Cardinales, 8. Archiepiscopi, 40. Episcopi, Abbates plurimi, et 33. Procuratores Cardinalium, Episcorum etc.*

Inst. 3. BENEDICTUS XIV. tum temporis commode potuit, imo debuit veritatem explicitam prædicare; tum quia Rex Galliæ eodem anno negavit, Bullam UNIGENITUS esse fidei regulam; tum quia silentium adeo imposuit Episcopis Galliæ circa eamdem; ergo cum BENEDICTUS in sua Encyclica pariter retinuit compellationem regulæ fidei, consensit in ejusmodi negationem.

R. 1º. Tr. A. N. C. Nam quod Ludovicus XV. in regia Declaratione eodem anno aliquot mensibus serius præstitit, ejusmodi compellationem Bullæ inhibendo; hoc jam an. 1731. inconsulto Pontifice fecerat, nulloque documento constat, hac super re consensum Pontificis postea fuisse postulatum. Potuit vero hoc Regis qualecumque factum dissimulare Pontifex, tum quia rex Constitutionem UNIGENITUS constanter profitebatur ac venerebatur tanquam *judicium dogmaticum* Pontificis et Ecclesie; et quidem in articulo primo suæ Declarationis omnibus subditis diserte præcipiens, exhibere venerationem, illamque subjectionem, que huic Constitutioni propria est ac debetur; item provocans ad litteras patentes, omnesque Declarationes in favorem illius Constitutionis Apost. antehac emissas, in quibus illa jam ut lex, jam ut *judicium Ecclesiae universalis dogmaticum* nominatur, pronuntiatur, acceptatur: tum quia Rex solum negavit esse, aut potius prohibuit dici fidei regulam in *sensu stricto*, qualem in *sensu minus stricto* compellaverat BENEDICTUS XIII. De lege silentiaria vide infra.

R. 2º. Quod auctoritas regia eamdem Constitutionem agnoverit, ceu *regni pariter et Ecclesiae legem*, patet cum primis ex Edictis an. 1720. 1730... Idem constat de Clero Gallico: nam in Comitiis an. 1723. 1726. 1730. renovata ac firmata Bullæ acceptatio, eaque agnita fuit ceu vera *regni perinde ac Ecclesiae lex*. In Conc. Ebredunensi, 15. Gallicani Præsules unanimi consensu declararunt, Constitutionem UNIGENITUS *dogmaticum esse et irrefractabile Ecclesiae judicium*; quod Concilium a BENED. XIII. diserte confirmatum, regioque diplomate munitum fuit.

Sacra Facultas Paris. splendido Decreto an. 1729. die 11. Decemb. agnoscit et amplectitur Constitutionem UNIGENITUS, tanquam universalis Ecclesiae *judicium dogmaticum*.

146. Obj. II. Concilium Romanum sub BENED. XIII. fuit Concilium Papæ, et acta Concilii fuerunt interpolata, atque voces illæ: *quamque nos uti ejusmodi regulam agnoscamus*, fraudulenter insertæ; id quod notum jam Romæ, notum in magna parte Italiæ, atque in Galliis etiam haud ignotum est. Inde est, quod in Tract. de Grat. a Tournely an. 1748. edito omissæ fuerint prædictæ voces, et jure quidem; cum in Conc. Rom. fere nihil legatur de hæresi, aut de erroribus in fide; ergo.

R. 1º. Si, cum de auctoritate Conciliorum agitur, ejusmodi annotationes

adstruere licitum foret, nullius Concilii auctoritas sat firma foret; cum eodem jure de unoquoque dici posset, vel quod fuerit Concilium Papæ, et ipsi adhaerentium, vel quod iste *canon*, aut saltem istud *vocabulum* malitiose intrusum fuerit. Deinde si ista verba, que tantopere adversariis Bullæ UNIGENITUS displicant, non essent ipsius Concilii verba, sed forte ab iis, qui imprimendæ Bullæ curam gerebant, intrusa; dicant nobis isti Critici, quo pacto fieri potuerit, ut neque vigilantissimus æque ac doctissimus Pontifex BENED. XIII., neque unus aliquis e tot Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, Théologis, qui interfuerunt, in fraudem gravis adeo momenti insurrexerit; sed omnes acquiecerint, ac si vocabulum istud, tanta litis initium, non observaverint in Bulla, quæ sub eorum oculis impressa fuit typis, aut penitus observatione sua indignum existimaverint.

R. 2º. N. A. Vix enim aliquot menses acto Concilio præterierant, cum rumor iste de intruso per fraudem vocabulo Roma in Gallias allatus est. Exhoruerunt rei indignitate commoti inter Catholicos ferventiores, cum viderent, tam latam aperiri viam ad cludendas quascumque Conciliares definitiones. Quapropter certius aliquid ut resciret Archiepiscopus Ebredunensis, egregius ille Constitutionis contra Episcopum Senecensem assertor, ad Papam ipsum, BENEDICTUM XIII. scripsit, qui respondit in hæc verba: *Quod attinet ad alteram partem epistolæ tuæ ad me missæ, ubi de rumore loqueris, qui ad te pervenerit de Decreto ultimi Concilii Romani, nemo prudens adhibere fidem poterit illis, qui falso scribunt de cap. 2. tit. 4. ea, quæ ipsi aut credunt, aut credi ab aliis vellent. Vera illa sunt, quæ ibi impressa vel scripta a nobis, et a cunctis Patribus invenies. Unde miramur valde, ista ratione in controversiam vocari tam manifestam et tam canonicanam Sanctionem; ita in epist. sua manuscripta, 8. Octob. 1726. BENEDICTUS XIII.*

Addi, quod Archiepiscopus eam Papæ respcionem suæ pastorali Instructioni mense Augusto 1731. typis vulgatae insernerit pag. 8. Et quomodo fieri potuit, ut facta tam solemnia Pontifice ipso protestatione columnas tam clare detectas quis innovaret? Insuper Romæ adhuc habetur Diarium istius Concilii manuscriptum, non vero a Molinista, in quo apertissime reluet, istam formulam non intrusam fuisse, neque a Cardin. Fini, neque ab alio quopiam instigantibus Molinistis, sed a Concilio sancitam. Adhæc notum erat per totam Romanam, quod BENEDICTUS XIV., cum sibi ex Castello S. Angeli afferri jussérat Acta hujus Concilii, omnia in eis alia ac diversa invenerit, quam quæ *Anonymus*, tanti Pontificis nomine abutens, temere affirmat.

R. 3º. Itaque falluntur certe, aut fallunt hujusce falsificationis assertores, non absque injuria tum Cardinalis, cuius indulgentia; tum Religiosorum, quorum opera dicitur perfecta hæc perfidia. Quandoquidem nuper imperatum ab auctoritate supra *examen Actorum* docuit, has voces non tantum suo loco congruentes, et primis jam scriptis innexas; sed etiam post scriptorum in Concilio lectionem publicam, frustra dissentientibus paucis, approbatas fuisse a reliquis, et jussas retineri. Non igitur ex *Eusebio Eraniste*, qui falsam hanc querelam pag. 416. multis exaggerat, sed ex authenticis ac publicis monumentis, quæ prostant Romæ in Archiviis summi Pontificis, rei veritas et asserti falsitas depromenda est. Quod vero in Tourney eæ jam voces prætermittantur, id factum caute, quia rex Galliæ jam-

dum an. 1731. 22. Julii prohibuerat compellationem *regulae fidei*, scilicet in sensu stricto, ac si, ut ait, esset *symbolum et professio fidei*; cum haec sit expressio non necessaria, et quæ illo tempore occasionem dederit contentionibus æque periculosis ac inutilibus.

R. 4º. Falsum, quod in Conc. Romano actum sit nihil de fide, aut heresi; nam ex num. 241. decretum depromptum ex Sessione habita in Basilica S. Petri ita habet: *Cum ad professionem fidei Catholicae integre inviolateque retinendam et custodiendam necessarium summopere sit, ut succrescentes per haec recentia tempora circa eamdem fidem errores a Sede Apost. damnatos.... ubi de fide, de heresi, de erroribus contra eamdem fidem, et quidem per haec recentiora tempora, nimis grassantis Quesnellismi, qui simul erat protروا Baianismi, Richerismi et Jansenismi instauratio.*

Inst. 1. Ex Actis Conc. Ebredunensis a Pontifice et a Rege approbati æque parum evincitur, quod Bulla UNIGENITUS sit judicium Ecclesiae dogmaticum, cui sub peccato mortali etiam mentis ac cordis debeatur obsequium: nam *Episcopus Senecensis*, tametsi dicatur a Concilio fuisse depositus, tamen ex more recepto in Ecclesia non fuit privatus *communione laica*, quæ solis excommunicatis negabatur; cum ergo, quamvis Bullæ ceu judicio dogmatico non subscriberet ex animo, perceptione laica Eucharistie gauderet, manifestum est, ejus contumaciam non fuisse graviter peccaminosam.

R. 1º. Nomen *communionis*, uti nunc apud nos, ita olim non raro strictius sumebatur, pro publica in rebus divinis et S. Synaxi communicatione. Sicut autem olim aliter Episcopi, aliter Presbyteri et Clerici, aliter Laici Sacraenta, preces et vitæ communis consuetudinem obibant; ita invaluit diversa communicatio, alia *Sacerdotalis* seu Episcoporum, alia *Ecclesiastica*, quæ Clericorum, alia *Laica*, quæ sancti populi esset. Laice communicare, h. e. laicorum more vivere, ritu laico Sacraenta percipere, privilegiis Clericalibus non participare, quamvis sit laico gloria; tamen Clerico dedecus et ceu poena fuit inficta; fere sicut Trevirensis commoratio homini Trevirensis domus, homini Alexandrino, v. g. S. ATHANASIO exilium fuit. Hæc poena *communionis laicæ* habuit suos gradus, ita ut, qui præcise depositus desineret esse Clericus, redigeretur quidem in ordinem laicorum, non tamen Sacramentis privaretur: *Excommunicatus præcise excluderetur ab Eucharistie perceptione, non vero ad laicos amandaretur: Utraque poena affectus amitteret cum dignitate ordinis etiam usum Sacramentorum. Ita ZONARAS, aliquique post illum Commentatores in Can. Apost. exponunt.*

R. 2º. Jansenistæ uti fallunt, quod dicant Senecensi Episcopo permisam fuisse *communionem laicam*, sive vere orthodoxum fuisse, quamvis contra Bullam UNIGENITUS contumacem: cum perlustratis Synodi Actis nihil de communione laica inveniatur, ne nomen quidem, aut huic æquivalens; ita falluntur, quod credant, ex more Ecclesiae recepto Clericos duntaxat depositos, si excommunicati non fuerint, adhuc gaudere communione laica: nam 1. maligne hic usurpat communionem laicam sine certo discrimine, cum tamen ex dictis possit esse vel diminuta, vel plena et perfecta. 2. Falsum est, quod Clericis depositis hoc ipso et perpetuo concessa sit communio laica cum jure percipiendi Eucharistiam conjuncta, quia juxta can. 7. et 8. Concilii Aurel. III. in judicis sententia exprimi debuisset communionis permissione, utpote beneficium, ne omnibus quidem laicis ad poenitentiam